

P. Audomarus Meerschaut (1900-1960)

(Prov. Belg.)



Die 20 decembris 1960, Trudonopoli (Sint-Truiden) in nosocomio vita defunctus est P. Audomarus Meerschaut. Aliquot ante hebdomadis, infirmae valetudinis causa, munus rectoris nostrae domus dictae civitatis renuntiaverat. Sic confrater discessit, qui per multos annos, tum ut missionarius, cum ut superior, locum non parvi momenti tenuit in provincia Belgica.

P. Audomarus Meerschaut natus est die 16 sept. 1900 in urbe Sint-Niklaas, dioec. Gandavensis (Gent), e familia penitus christiana. Fuerunt septem liberi, inter quos hodiernus moderator periodici *Analecta C.S.S.R.*, P. Prosper Meerschaut. Post studia in Instituto urbis natalis, anno 1913 in Iuvenatu prov. Belg. C.S.S.R., mox incepto in Essen (Prov. Antverpiae), curriculum medium-classicum inchoavit. Quod dein, propter bellum exortum, prosecutus est per duos annos in urbe natali, et per alium annum in domo nostra Trudonopoli. Ultimam autem annum post novitiatum perfecit.

Anno 1917 in novitiatum ingressus est et die 21 sept. 1918 vota emisit in domo nostra Pulchriugi (Beauplateau). Ibi etiam per sex annos operam dedit studio philosophiae ac theologiae. Attamen, per annum studia haec intermittere coactus est, propter servitium militare. Etenim, post primum bellum mundiale, hoc servitium impositum est seminaristis et religiosis; qui institutionem receperunt ut militibus aegris ac vulneratis opem ferre possent. Die 21 sept. 1924 P. Aud. Meerschaut una cum ceteris confratribus eiusdem anni novitiatum sacerdotio auctus est.

Initio vitae suae activae, per aliquod tempus viam sibi magis convenientem quaesivisse videtur. Alio enim post alium munere fungebatur, pluribus in domibus et quidem unaquaque vice pro brevi tantum tempore. Primum fuit

lector historiae ecclesiasticae Pulchriugi, dein vice-director iuvenatus in Essen. Anno 1933 ad triennium renuntiatus est praefectus studentium Pulchriugi. Rollarii (Roeselare) autem, ubi iam antea domui recessuum addictus erat, anno 1936 vitam missionariam definitive aggressus est. Fuit ibi director virorum Archiconfraternitatis S. Familiae; ac per annum et dimidium director domus recessuum. In dicta civitate maximam atque fructuosissimam vitae partem peracturus erat — quattuor nempe vicibus Rollarii mansit, insimul per sedecim annos — ibique omnes suas dotes plenius explicare potuit.

Singulare ingenii acumen habuit, quin tamen nimis pronus esset ad subtilitates criticas. Studia ecclesiastica praeprimis colebat, ac libenter lectioni librorum ac periodicorum incumberebat, praesertim pro rebus ad sacrum ministerium et praedicationem pertinentibus; et plurimas notulas in minimis chartulis conscribens, nihil eorum quae sibi usui esse possent, amisit.

Gravis, immo quasi sollemnis eius statura omnibus verae admirationi fuit. Vocem plenam et claram habuit et ea quae dicebat, omnibus facilia erant ad intelligendum. Forsan parum concitatus videbatur nec populum vehementer permovit, uti proprium est tot concionatorum in Flandria. Non multam animi permotionem experiri dicebatur; revera autem semper et ubique sibi imperavit. Speciatim in praedicationibus occasionalibus oratorem eximium se praebuit.

Ultimo bello, mense maio 1940, et mensibus praecedentibus munere capellani functus est in exercitu. Anno 1942 rector nominatus est Rollarii, pro quinque annis. Postea fuit consultor provincialis per sex annos, et interea rector Lovanii per triennium; atque denuo rector Rollarii, item per quinque annos. Denique, anno 1958, rector Trudonopoli, ubi mortem obiit.

Varia haec munera explendo, omnes nostri contratis dotes magis magisque patescebant. Ordo strictus maxime ei cordi erat. Quem ipse in omnibus diligentissime servavit, ita ut quibusdam potius severus haberetur. Quasumque tamen rerum condiciones optime intellexit eisque quam maxime se aptavit. Ante omnes semper paratus erat ad suam laborum domesticorum partem assumendam, praesertim ad confessiones audiendas et conciones dominicales institutas. Quod fecit ad finem usque vitae, licet morbo iam valde debilitatus.

Onus superioris Patrem non impedivit ne multas missiones et exercitia spiritualia praedicaret. Post ultimum bellum, cum missionarii varia nova adiumenta experti essent, ut missio popularis plures fructus afferret — in specie visitationem apud familias institutam et chartam ad verificandam praesentiam in concionibus — ipse Pater ea usurpavit, promovit et interdum strenue defendit.

Attamen non inconsiderate omnibus novitatibus adhaesit et, effectu sperato non secuto, eas illico omisit.

P. Aud. Meerschaut per 18 annos fuit membrum administrationis Conferentiae Missionariae, id est unionis missionariorum e pluribus Congregationibus quae missiones populo praedicant. In nostra provincia Belgica praeses erat Commissionis de ministerio pro regione Flandrica. Insuper munus haud facile ei mandatum erat, efficiendi nempe elenchum pro missionibus habendis, quibus maior Patrum numerus intervenire debuit. Labor valde arduus, cum tot personis satisfacere oporteret.

Istis annis Patri pluries data est facultas loquendi de missione populari ad seminaristas in quibusdam seminariis maioribus Belgii. Quod libentissime fecit, cum S. Alfonso, Congregationem et laborem nostrum apostolicum maximi semper haberet. Nil mirandum ipsum talem invitationem recepisse: clero saeculari semper coniunctus erat vera concordia, atque sacerdotes vicissim magnam venerationem et reverentiam adversus eum adhibebant. Quod ei permisit plurimum conferre ad progressum et successum laborum nostrorum.

Omnibus simul sumptis — ibique non praeterimus confratrem nostrum maximo animo et patientia morbum perpessum esse — haec vita fuit vere activa et fructuosa, tota dedita ministerio operis Redemptionis Congregationis nostrae. Ideo non est dubium quin Pater pro omnibus quae fecit, amplum praemium acceperit, intercedente B. Maria V., Matre a Perpetuo Succursu, cuius venerationem quam maxime promovit.

GER. RONDELEZ, C.SS.R.